13

TENTAMEN MEDICUM, INAUGURALE, DE ASTHMATE SPASMODICO.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JACOBUS MELLIAR,

ANGLO-BRITANNUS.

Soc. Med. Edin. Soc.

Sequimur probabiliora; nec ultra quam id quod veriſimile occurrit progredi poſſumus; et refellere ſine pertinacia, et refelli ſine iracundia, parati ſumus. CIC.

Prid. Id. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXVII.

Viro perquam honorando,

EDVARDO WALTER,

ARMIGERO,

Vitae integritate,

Ingenii benevolentia,

Morumque urbanitate,

Conſpicuo;

Propter illa, ſummaque beneficia et vere paterna,

In ſe collata;

Has, quales quales ſint, ſtudiorum primitias,

Exiguum grati animi teſtimonium,

Maxima, qua decet, reverentia,

Sacras eſſe voluit, lubentiſſimus offert

AUCTOR.

For

Mr. Carr with Comp.ts

from the Author.

TENTAMEN MEDICUM,

INAUGURALE,

DE

ASTHMATE SPASMODICO.

AD morem in inclyta hac academia, nulli ſecunda, et jure aeſtimata, legibus ſancitis gerendum, diligentiae profectuſve parvulum in re medica ſpecimen unicuique prius in lucem, quam ad gradus honorem, quem ambit, provehatur, proferendum eſt. Ut hoc punctum feramus, de Aſthmate, quo, varios inter morbos, genus humanum corripientes, vel propter crebram medelae difficultatem, vel diuturnitatem ejus haud infrequentem, nullus attentione noſtra videtur eſſe dignior, eſt mihi votum propoſitumque diſſerere. Idque pro paginarum ſubſequentium argumento habiturus morbi primum definitionem, poſtea hiſtoriam, alias dein partes,

more solito hujusmodi dissertatiunculas tractandi aggrediar, at ‘ non tam perficiendi ‘ spe, quam experiundi voluntate.’

DEFINITIO.

Spirandi difficultas, cum angustiae in pectore sensu, per intervalla subiens, asthma est. Cui in neurosium classe, et spasmorum ordine, nosologiae methodicae, ab illustri Culleno in lucem editae, locus est tributus.

Hanc hujus morbi definitionem eleganti brevitate insignem, perlegenti alicui, et eam cum plena historia sequente comparante, quaedam ei magis quidem specie, quam veritate, ut speramus, incongruae objicienda videri possent. Quare hanc aliis definitionibus anteposuerim, nisi de nosologiae natura et usu pauca dicere supervacuum foret.

Veruntamen, ne ab argumento sermo aberret, liceat hoc corollarium ab imperfecto ejus statu deducere, fieri non posse, ut in uno genere vel charactere omnia vaga symptomata, et parum constantia, comprehendantur : Si vero

vero minime dubia, vel morbum nunquam non comitantia, notatu clariſſima et cognitu facillima adſint, nobiſmetipſi gratulari debemus, tantum auxilii acceptum, quantum ad exteriores, ut ita dicam, uſus lineas ſignandas conferat, et grato retroſpicere oculo ad fontem, a quo id benigne profluxerit.

Spirandi difficultatem, aſthma ſiccum et humidum, crampum, convulſivum, dyſpnoeam, et orthopnoeam, multiſque aliis hujuſmodi vocabulis, quidam auctores nominaverunt. Quas diſtinctiones, plus detrimenti quam emolumenti pollicentes, inutiles eſſe ducimus. Si quis modum, quo ea pars argumenti fuit tractata cognoſcere velit, Etmullerum adeat, qui de morbis humani corporis in practico ejus collegio de hac re fuſius egit.

Functiones inter animales quaedam, abſquè ſubita vitae privatione, aliquamdiu ſuſpendi, vel plurimum perturbari poſſunt, reſpiratio vero eſt adeo neceſſaria, ut nullus ad

* Cap. xiv. de aeris inſpiratione laeſa.

ad auras vitales carpendas ſemel conſuetus, ea ſublata, brevi mora exiſtere queat. Abſentia aëris cito perdit, et partim interpellatus maximarum in oeconomia animali commotionum fundamentum jacit: At optima hiſtoria, aut ſymptomatum enumeratio, quae ab antiqua vel hodierna praxi et experientia ſit deprompta, materiam magis in aprico, quam minuta ſubtilium diſcriminum, in ſcholis uſurpatorum, indagatio reddet.

HISTORIA MORBI.

Aſthma nonnunquam eſt acuta, aeger, ſcilicet prima ejus acceſſione morti ſuccumbere poteſt. Saepius autem chronica vel periodica, quandoque ſaltem tempore certo ſtatoque revertens, quod a diverſis atmoſphaerae mutationibus, aliiſque cauſis, de quibus mentio poſtea fiet, ortum ducat; et, ſi fides ſit habenda Helmontio, ſcriptori quidem credulitati aeque ac ſuperſtitioni ſatis dedito, luna aſthmaticos quodammodo afficit. Haec ſunt ejus verba: ‘ Exacerbatur lunae ſtati-

‘ onibus

'onibus et arvis tempeſtatibus, quas ideo 'praeſentit et praeſagit.' Aſthmatis invaſio prima repentina et inopinata eſſe poteſt. Futuram vero paroxyſmi acceſſionem ſigna quidem praeeuntia, eandem eſſe in propinquo, plerumque indicant.

Aliquo diei tempore antequam acceſſio patet, aegrotus invitus ſe movet; laſſitudinis, torporis, languoriſque indicia prodit. Ventriculus inflatione, praecordia tenſione et anguſtiae ſenſatione, tentantur. Ructus ſaepe copioſi ejiciuntur. Nocte appropinquante, pulmones quaſi rigent; reſpiratio minus libera eſſe apparet; thorax gravedine quadam deprimitur, vel plus ſolito oneratur; vox interdum rauca evadit. Gravitas et dolor capitis comitantur. Deſiderium ſomni, aegrum crebrae oſcitationi pandiculationique obnoxium reddit. Excretio urinae fit aliquando uberrima, coloriſque pallidi. Tuſſis ſicca et fere ſtrangulatoria ſupervenire nonnunquam obſervatur. Oris ariditas fauciumque ſitiſque inexplebilis interdum adſunt. Noctu aliquantulum caloris ſentit aegrotus, minimumque

que ponderis in pectus incumbentis aegre ſuſtinet.

Praeludio morbi fere peracto, ſomnus ſaepe incidit, parvamque remiſſionem ſymptomatum conciliat. Adveniente autem hora prima vel ſecunda matutina, omnia in pejus ruunt. Incipit paroxyſmus a quadam thoracis conſtrictione, cum ſpirandi difficultate ſtipata, quae ſomnum ſtatim ſubitoque rumpit; e lecto ſurgere, ad erectam corporis poſituram confugere, cogitur; majore aëris quantitate eget, ad quam colligendam non tantum vela lecti ductilia retrahit, ſed etiam feneſtras cupide pandit, ut aurae admiſſione commoda fruatur; nonnihil levaminis hoc perfugium ei plerumque affert. Reſpiratio in genere eſt moleſta, admodum difficilis vel laborioſa fit inſpiratio, talis eſt expiratio qualis ſi ei anhelator invito quaſi animo cedat; ad ſervandos pulmomones diſtenſos operam dat, hancque ob cauſam, aëris expulſio eſt lenta, et propter tarditatem fortaſſe ſonus ſtridulus circa partem tracheae glottidiſque ſuperiorem eam comitatur. Bilis, ni fallor, vel flavae vel viridis

dis a quibuſdam auctoribus notatur, vomitio. Vox imbecillis efficitur, et loquelae exercitium majus minuſve injucundum eſt. In inſpiratione cervix, thorax, et humeri inſigniter eriguntur. Calor permagnus, anxietas, et inquietudo urgent; pulſus celer, parvus, debilis, et inaequalis. Haec eſt ſeries ſymptomatum generalis, quae paroxyſmum conſtituit. Sed neque in hoc, neque in ullo alio morbo, ulla fere perpetua praecepta ſtabiliri queunt; ubique in re medica exceptiones ſunt.

Aſthma modo mitius, modo gravius ſeſe habet; cum in ſummo aeger verſatur periculo, apparent ſigna ſequentia. Manifeſta cordis palpitatio; pulſus tactu intermittens abnormiſque reperitur; artus, praecipue corporis extrema, calore ſolito privantur. Sanguine turgeſcunt genae, et colorem ſaepe nigrum aſſumunt; ſudore frigido madeſcit cutis; oculi, ab orbitis quaſi exilientes, nitorem naturalem amittunt, lachrymaſque involuntarias effundunt. Statu comatoſo afficiuntur aegri, ſomno haud interpellato raro fruuntur.

fruuntur. Inter omina infelicia, animi deliquium, vires vitae admodum langueſcere oſtendens, ſilentio non eſt praetereundum; ſaepe dilirium ferox, et tandem mors, omni remedio incaſſum tentato, ſcenam amice claudit.

Si morbus autem formam leniorem induat, anguſtiae in pectore ſenſus gradatim evaneſcit, demumque omnino ceſſat.

Totum per corpus modo aequali pervadit calor, et ſupra cutem ſudatio modica ſerpit. Paululum ſpiſſae pituitae, ex nigris filamentis interdum conſtantis, vel dulcis vel ſalſi ſaporis, plerumque, adventante mane, exſcreatur, qua ejecta, majore ſpirandi facilitate gaudet anhelus. Urina, antea pallida, nunc ſedimentum prope coloris lateritii deponit.

Diuturnitas paroxyſmi incerta eſt; raro ultra quinque, plerumque tres vel quatuor dies (vel potius noctes, quippe ſymptomata tunc maxime ingraveſcere, ſublevari mane, ſolent) permanentis. Licet haec ſymptomatum antecedens ſeries concurſuſque in aſthmate communes eſſe videantur; at ordo

ta-

tamen morbique vis insita, aliis rebus et temporibus, aliter sese habent.

DIAGNOSIS.

Historia morbi et definitione, quantum in nobis situm erat, perpensis, ad hunc morbum ab omnibus aliis discernendum, qui similem ei speciem prae se ferunt, nostri negotii proxima pars est: In qua fiduciam nonnulli tantam collocant, ut hoc dictum in ore semper habeant: 'Dato morbo, 'remedium invenire haud est difficile.' Neque haec sententia non vero quodammodo est consentanea; diagnosis saltem non minus medico, quam aegroto, commodi plurimum affert, haud utilis tantum, sed apprime etiam scitu necessaria; quum in ea, quod ad medendi rationem spectat, totus rei cardo vertatur, et curatio sine illa manca et debilis esset.

Dijudicandae sunt variae laesae respirationis species, quae tres vulgo statuuntur: Nempe, dyspnoea, asthma, et orthopnoea; sub prioris titulo, latiore sensu sumptae, om-

nes aliae ſpiritus difficilis ſpecies comprehendi poſſint; quae ſtricte tamen ſic dicta, reſpirationem humidam, ſputa craſſa, atque citam, anhelitu ſibilo et febre abſentibus, denotat. Contra, ſecunda vel aſthma, reſpiratione ſublimi, tarda, laborioſa, nunc denſiore, nunc rariore (prout majus minuſve provectior morbus ſit) cum rauco ſono diſtinguitur: Certior fortaſſe nota, et quae adhuc majorem inter aſthma et dyſpnoeam conſtituit diſcrepantiam, eſt, quod haec morbus plerumque ſymptomaticus ac continuus eſſe videtur, aut raro aut nunquam intermiſſionem ullam oſtendit; illud vero, quaſi periodice revertens, it reditque per intervalla quaedam, licet incerta et nondum definita.

Poſtrema, vel orthopnoea hoc peculiare ſibi aſſumit, quod niſi recta cervice, aut corpore erecto, aegrotus ſpirare nequeat; ſitui enim horizontali indulgens, anxietate et oppreſſione intoleranda illico afficitur, et ea poſitura inſtantem ei mortem ſemper intentare videtur. Ad dignoſcendum aſthma a pulmonum vel pleurae inflammatione, ſum-

ma

ma cura eſt adhibenda, ne in errorem incidamus, qui ad peſſimum eventum ducat. Morbi, quos modo tetigimus, cum tanto languore ac moerore non ſtipati ſunt; et pulſus raro eſt tam enormis quam in aſthmate, ſaltem incipiente; ſpirandi difficultas, progredientibus his pneumonicis affectionibus, ſtabilis perdurat, et aſſidue creſcit; certamen vero non eſt adeo violentum, ut in aſthmate.

Anginae malignae ac inflammatoriae ſe comitem exhibet ſpirandi difficultas, quae a tumore et ſtrictura partium plerumque oritur; fauces rigidae fiunt, et os aegerrime aperitur. Hoc autem in morbo, hae partes non afficiuntur. Anginam malignam luculenter eruptio aphthoſa manifeſtat, quae ab aſthmate abeſt. Ad globum hyſtericum, alioſque adfectus ſub nomine generali nervoſorum contentos, aſthma quadam ſimilitudine interdum accedit: Quatenus methodus tractandi quodammodo ſimilis in ambobus adhibetur, errror in diagnoſi inter eos formanda levioris eſt momenti; verum etiam

ſunt

ſunt notae, quibus inter ſe diſcerni poſſunt. Globus, a conſtrictione ſpaſmodica, ac veluti laryngis atque pharyngis ſuffocatione, ortum ducit; in quo, coarctato tracheae canali, aëris ad pulmones liber aditus prohibetur: Aſthma autem, a vitio in pulmonibus ipſis nititur, et ſedem plerumque ſuam ibi habet.

CAUSÆ REMOTÆ.

Sub titulo cauſarum remotarum, cauſas occaſionales aut excitantes, aeque ac praediſponentes, vel eas quae morbo corpus humanum, quaſdam ob res aut a natura aut a conſuetudine pendentes, magis obnoxium reddunt, comprehendi intelligimus.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Ab hoc quamvis morbo nulla nec aetas, nec ſexus eſt immunis, ad eum tamen recipiendum vel gignendum quaedam ſyſtema humanum aptum efficiunt. Ab experientia compertum habetur, ad aſthma procliviores eſſe

esse eos, qui temperamento sanguineo, (cujus praecipua signa posthac memorabimus) vasis gracilioribus, sed copiosis, pinguitudine, statu plethorico, pectoris angustia, praediti sunt.

Quamvis nullus dubitandi locus superst, quin tales corporis conditiones, quales supra enumeravimus, hujus morbi impetui faveant; ratio tamen, qua haec seminia agant, perdifficile explicatu est.

Huic rei, tanta obscuritate obrutae, perexiguum si quid omnino luminis affundere, mihi in manu erit; Et, si prudenti ac utili admonito Horatii,

> Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
> Viribus: Et versate diu, quid ferre recusent
> Quid valeant humeri,

auscultare liceret, conamen lubenter effugerem. Verum, necessitas quodammodo vel invitum cogit aliquam proponere expositionem; eoque, ut hanc aequi bonique accipiat candidus lector, praecor.

Qui sanguinei sunt temperamenti, asthmati magis expositi, quam alii, esse dicuntur;

tur; quod, ſi quis, quibus ſignis dignoſcendum ſanguineum temperamentum ſit? interroget, ad id reſponſum certum promittere nolumus. Sequentes vero notas, teſte Culleno, quas nemo hactenus in tractando temperamentorum argumento, tenebris Cimmeriis involuto, ſagaciori feliciorique calamo delineavit, in medium adferemus.

Ab elaſtico firmoque ſtatu longe abſunt muſculoſae corporis partes; ſolidorum laxitatem quidem indicant mollities ac laevor capillorum, ad colorem albidum quam nigrum viciniorum; cutis cum candore teneritudo, et nitor amabilis; arteriarum magnitudo, humorum abundantia, genae rubrae vel roſeae, in verbo, facies plerumque florida; venae nonnunquam parvae ac pellucidae; ſyſtema nervoſum inſigniter rerum praecipue jucundarum ſenſibile; irritabilitas, levitas, animus mobilis, inaequalis, gaudio facile elatus, vel dolore depreſſus, ingeniique ſaepe acumen.

Quaedam mobilitas, ut phyſiologi loqui amant, huic temperamento proprium, iſte poteſtatis

poteſtatis nervoſae definitur eſſe ſtatus, quo inſunt facilitas et aptitudo, quibus non tantum motus excitantur, ſed praeſertim ea ſimul facultas, qua motus diverſi inter ſe ſuccedunt. Mobilitas quoque vocari poteſt ea fibrarum conditio muſculoſarum, quae eas in actionem, cauſis occaſionalibus agentibus, excitatu faciles reddit. Hancce ob cauſam, pulmones, fabrica tenerrima et delicatiſſima conſtantes, ſimul variae coeli temperiei, perpetuoque ſanguinis fluxui, ad vitam ſuſtentandam obnoxii, in ullo ſyſtemate, in quo eſt auctior et inſolita mobilitas, ortui morborum in viſcera thoracica incidentium, cauſis excitantibus applicatis, magis amici redduntur. Hoc conceſſo, ſanguineum temperamentum praediſponens eſſe cauſa recte aeſtimatur. Huic quidem ſententiae favenia haud exempla deſunt. E quibus hoc unum ſufficiat: Nonnulli, corporis mobili conſtitutione notabiles, ex minima atmoſphaerae viciſſitudine cum aliquo morbo affiiuntur, aſthmate temporario nonnunquam laborant; dum alii, tantae mobilitatis expertes,

tes, omnem aëris mutationem ac tempeſtatis inclementiam impune tutoque perferunt. Pulmones quidem adeo exquiſite ſenſibiles et irritabiles ſunt, ut aſthmatici confirmati nullum, ſine dolore paulo majorem, aut cum irritatione aliqua conjunctum, motum ferre queant. Hic loci quaeſtio oriri poteſt, utrum, necne, ſit haereditarium aſthma? Quod eſſe haereditarium, nonnulli non dubitandum contendunt. Affirmantium an negantium opinionem tueri debeam, in dubio haeret animus. Cum mecum cogito, aſthma, ſicuti pleroſque alios morbos, idiopathicum vel ſymptomaticum eſſe poſſe, vix dubitare poſſum, quin aſthmatica diatheſis ſaepe a labe haereditaria, ſaepius a morbis praeeuntibus, originem trahat.

CAUSÆ OCCASIONALES.

Neminem latere poteſt, cui pulmonum ſtructura uſuſque innotuerunt, cauſarum occaſionalium in numero haud eſſe paucas. Quas autem, ut in aliquem ordinem redi-

gantur

gantur, ad capita discreta, rerum quaedam non naturalium, ab antiquis sic nuncupatarum, comprehendentia, viz. aëra, diaetam, exercitium, animi pathemata, referre conabor.

Quod ad aëra attinet, ad ejus modum in asthmate gignendo, seu in pejus vertendo, operandi explicandum, philosophicam qualitatum ejus diversarum investigationem moliri, haud ad me attinet.

Satis superque nobis erit, si in hujusmodi tractatu generalia in corpore humano aëris effecta perstringamus.

Sensiles ejus qualitates sunt calor, frigus, siccitas, et humiditas: Hae omnes in alios interdum aliter agunt, prout sexus, temperamentum, aetas, corporis habitus, consuetudo, effectum varient.

Cl. Hoffmannus, de causis hujus morbi tractans, haec habet verba. 'Si quid ex 'causis occasionalibus est, quod asthma in-'ducere potest, certe est externum frigus, 'hostis ille nervoso generi inimicissimus, unde 'hic mali tempore, flantibusque ventis a-

‘ quilonaribus, ingraveſcit malum; et a fri-
‘ gido quoque potu exacerbatur. Imprimis
‘ obſervavi, illos, qui pectus non bene te-
‘ gunt, illudque frigori, maxime nocturno,
‘ exponunt, ſaepius hoc malum incurriſſe *.’

Ad eandem opinionem ducit frigoris ratio agendi, quae procul dubio in quibuſdam caſibus multiplex eſt: Illud autem gaudere vi aſtringente, qua contractionem vaſorum ſuperficie corporis facit, pallorem, inſenſiliſque perſpirationis ſuppreſſionem inde creans, nemo inficias ibit; quo quidem opere, fluida nociva ac ſuperflua, quae in corpore ſano per foramina cutanea foras expelluntur, ad interiora quaedam organa ſaepe repelluntur. Si ad inteſtina curſum dirigant, diarrhoea movetur; ſi ad pulmones, aſthma, vel catarrhus, vel morbus ex ambobus compoſitus, eoque natura ſua complicatus, eſt ſequela. Nervos afficiens cutaneos, per ſympathiam, aliquod ſpaſmi genus in vaſis pulmonum aëreis, idem frigus efficit.

Aërem,

* Tom. 3. pag 97.

Aërem, prout a terra magis distet, rariorem evadere, docent experimenta: Eques Floyerus, qui ex professo de hoc morbo scripsit, exemplum commune profert; in altis nempe locis, prae diminuta atmosphaerae pressura, vomitio, cholera, haemorrhagiae, et dyspnoea contingunt. Asthmaticum memorans Helmontius, 'montanis,' inquit, 'locis 'pejus se habet, ideoque Bruxellis vix per-'noctare audet.'

Nimia aëris siccitas, accessioni asthmatico humiditate minus est inimica; testante Floyero, (cujus auctoritati in rebus quibusdam confidere licet), in sicco coeli statu, hoc morbo laborantes, summa alacritate ac facilitate spirandi imperturbata potiuntur.

Si atmosphaera nimis humida sit, vel fiat nebulosa, opprimitur anhelus, atque de angustia in pectore, quadamque plenitudine in ventriculo, conqueritur. Noxiis particulis aër tunc forsan temporis magis refertus est. In plerisque calor symptomata auget: In lecto omnia ingravescunt, in quo calidam tanquam atmosphaeram circa se congerit

aeger,

aeger, quae corpori majorem ſenſibilitatem dando, et vim ſtimulantem generi ſanguifero admovendo, morbum exacerbat. Floyerum his verbis, ſic redditis, audi.

'Æſtate ſaltem ſaepius et ſaevius infe-'ſtat acceſſus, quam hyeme.' Hoc plerumque verum eſſe, ipſe concedit; in eadem vero ſectione, cum nonnullis, quibus hiems erat inimiciſſima, ſe habuiſſe ſermonem confitetur: Aſthma hiemale cum catarrho fere conjungi notatu dignum opinatur.

Poſtremo, repentinae tempeſtatis viciſſitudines, ſive ex graviore coelo ad levius, ſeu ex frigidiore ad calidius, exoriuntur, aut vice verſa, hoc malum gignunt. Sub hoc capite, quoniam aër eſt medium per quod volatilia ad olfactus organum deferuntur; igitur diverſos odores, qui cum aliis cauſis ad inducendum aſthma operam conferant, comprehendere liceat.

In eis, quibus ſyſtematis nervoſi ſenſilitas eſt valde exquiſita, nicotianae fumus paroxyſmo originem praeberet.

Tametſi

Tametsi hujus plantae fumus vel odor aliquibus adeo injucundus est, ut hos edat effectus; ast alios non tantum non sic afficit, sed etiam medicinalis nonnihil virtutis secum affert: Sic in asthmate chronico accessiones et rariores et leniores nicotianae fumo redditae sunt. Non solum omnes ingrati foetidique odores, verum et qui suaveolentes sunt, idonea occasione oblata, anhelationis causa fiunt.

Quod ad victum attinet; ventriculi sympathiae consensusve cum aliis corporis humani partibus nemo, in physiologia praxique medicinae vel mediocriter versatus, inscius esse potest: Hoc quidem factum tam immoto certoque fundamento inniti videtur, ut nullus de eo dubitandi locus supersit. Si hoc, igitur, loco inter medica vera dignum est, diaetam ut asthmatis causam, haud multis verbis exponere opus erit.

Alimentum nostrum, vel quantitate vel qualitate, nocere potest. Nimia cibi, licet saluberrimi, copia ventriculum visceraque opprimit, processui digestivo non perfecte sub-

ſubjicitur, et vel ad aciditatem vel ad putredinem vergit, multumque flatus generat; unde, nervis partium iſtarum injucunde affectis, varietas morbidorum corporis habituum naſcitur; inter quos aſthma, ex nervoſo generali commercio, mechanica diſtenſione, ac ventriculi inflatione, liberam, ob vicinitatem, diaphragmatis actionem deſcenſumque ejus impediente, pendens eminere poſſit.

Intemperantia atque error in potu aeque ac cibo, non minus in culpa habenda ſunt: Immodica cereviſiae non bene lupulatae et fermentatae ingurgitatio, praeſertim in actu fermentationis, aëre elaſtico abundante, deglutitae, vel vini, quamvis optimi, uſus immodicus, anſam huic morbo dabunt.

Exercitium juſto violentius, pleno praecipue ventriculo, totum corpus ſtimulando cordis arteriarumque impetum augendo, motum ſanguinis per pulmones accelerando multum quoque interdum ad anhelationem acceſſum excitandum confert.

Ad eundem efficiendum, omnia ſubita violentaque animi pathemata, ſicut ira, m
tu

tus, et similia, pertinent: Effectus, quos hae causae saepe edunt sensibus patescunt; sed modus operandi adhuc in tenebris jacet, et fortasse semper jacebit. Exemplum posterioris, nempe timoris, a Roberto Whytt, nuper hic professore, memoratur *: Qui, differens de morbis nervosis, inquit, "ut hysterici accessus et dolores colici spasmodici ab affectionibus mentis oriuntur; ita paroxysmum asthmaticum in muliere, quae crebris hujus morbi invasionibus fuit obnoxia, timore repentino esse inductum, cognovi."

Nimium sanguinis dispendium in eis, quorum pulmones sunt valde delicatae vel irritabiles, impetus asthmaticos, potius quam alia symptomata nervosa, nonnunquam inferre solet.

Ex vita admodum laboriosa in sedentariam subita transitio; ad literarum studium, abstrusas speculationes metaphysicas vel mathematicas, nimia propensio; vigiliaeque, in causarum numero ab auctoribus, includuntur.

Fe-

* Whytt on nervous disorders.

Febres, potiſſimum naturae intermittentis, catarrhum, hyſteriam, hypochondriaſim, podagram retrocedentem, ulcera chronica intempeſtive conſolidata, vel fonticulos repente occluſos, vel evacuationes ſolitas, per haemorrhoides vel menſes repreſſas, interdum comitatur ſequiturve aſthma.

Omnis cauſae morbique a quibus aut idiopathice aut ſymptomatice aſthma effici poſſit, enumeratio accurata non tantummodo me in nimiam prolixitatem duceret, ſed etiam diſſertationis hujuſmodi limites ſuperaret.

In perpendendis cauſis, nobis erat in animo eis diutius inſiſtere, quae creberrimum aſthmati exordium dare videntur: Hoc elegans ac utile effatum * Celſi, " Æſtimatio cauſae ſaepe morbum ſolvit," memoria tenentibus.

CAUSA PROXIMA.

Ut de vera aſthmatis indole variae hypotheſes ac theoriae ſuos habuerunt fautores et

* Celſi praefat. ſub finem.

et de ſede ejus adhuc ſub judice lis eſt; ita cauſam proximam, quam complecti ac dare audeo, omnibus poſſe ſatisfacturam, haud falſam ſpem concipio. In ea tradenda diffidenter, ut in re cujuſdam ambiguitatis decet, ſententiam meam propono. A ſpaſmodica fibrarum muſcularium bronchiorum conſtrictione, aſthmatis cauſa proxima pendere videtur. In aliquam hujus opinionis illuſtrationem, operae pretium erit phaenomena ſputi animadvertere: Sputum, invadente paroxyſmo, ac priore ejus parte omnino plerumque abeſt; ſolumque, ſuperveniente integra ſymptomatum remiſſione, qua conſtrictio bronchia prius afficiens tollitur, muci haud exigua quantitas demum exſcreatur.

Licet ſententiae a pleriſque receptae congruat haec idea noſtra, tamen veritas ejus a nonnullis in dubium vocatur: Ad hanc opinionem repudiandam eo inclinari ſe dicunt, quod pulmones vi peculiari contrahendi haud eſſe praeditos contendunt: Iidem vaſa tamen in ulla corporis parte ſpaſmo affici, hanc diſpoſitionem ad naturam muſculoſam referri

debere, eandemque in pulmonibus accidere poſſe, concedunt: Sed pulmonibus, inquiunt, contractiones attribuere ſaepe ſolemus, quarum ſedes in larynge eſt, et morbi, hanc partem infeſtantes, ſymptomata peripneumoniae plurimum imitantur.

Qui noſtram aſthmatis cauſae opinionem reſpuunt, ii, canis faucibus irritatis, acceſſionem aſthmaticam fieri, eoque non in pulmonibus, ſed ſupra hos, ſedere morbum, judicant. Verum iſtiuſmodi irritationis, ſic admotae, effectus non aſthma, ſed dyſpnoea, nobis videtur.

PROGNOSIS.

Aſthma, haud alterius morbi particeps, expers periculi plerumque habetur. Annos ſaltem triginta ejus tyrannide ſe laboraſſe aſſerit Floyerus. Eodem auctore, nonnulli qui huic morbo, occaſione tantum oblata annos etiam quinquaginta fuerant obnoxii ſecunda valetudine, tantum cum exigua pul-

mo-

monum tabe, officioque horum non multum interpellato, uſi ſunt.

Fauſtus autem vel infauſtus morbi exitus primum ab aetate et aegri temperie, dein cauſa in qua morbus conſiſtit, denique hujus duratione, violentia, et invaſionum frequentia, deducendus eſt.

1. Juvenilis aetas medici conatibus plurimum favet, praeſertim ſi quid veri in ſe hoc dictum habeat, 'Quo junior eſt aeger, 'eo, caeteris paribus, major ſpes eſt ſanatio-'nis.' In juventute, ſyſtema nervoſum, ob extremam mobilitatem, mutationes vel a natura vel arte effectas facillime recipit.

Si morbus a labe haereditaria ortum ducat, conamina noſtra ad medelam radicalem perficiendam erunt fere inania, ſolumque cum vita ipſa ille prorſus ceſſabit.

Si arthritis, affectiones exanthematicae, et ſuppreſſio evacuationum aſſuetarum, primas inter cauſas ſint, renovatae ſpes valetudinis, in his reſtitutis, poſita eſt.

Curationis expeditio vel retardatio a duratione morbi pendere videtur. Vetus et verum

rum est dictum, morbos non tam facile in provectiore, quam incipiente vel infantili statu, medicamentis tolli. Quam veritatem verba Poetae exprimunt:

" Principiis obsta, sero medicina paratur,
" Cum mala per longas invaluere moras."

Si accessiones sint acriores et crebriores, artem salutiferam frustra solicitantes, morbos in pulmones inducendo, effectus plerumque lethales tandum edunt.

Affectiones multae pulmonicae in genere curatu adeo difficiles esse putantur, ut prognosin admonitione antiqui medici concludere liceat.

' O quantum difficile est curare morbos
' pulmonum ! O quanto difficilius eosdem
' cognoscere, et de iis certum dare praesa-
' gium ! Fallunt vel peritissimos, ac ip-
' sos medicinae principes. Tyrones mei
' cauti estote, et prudentes in iis curandis ;
' nec facilem promittite curationem, quae tam
' anceps et incerta est.'

CON-

CONSILIA MEDENDI.

Ultimam, haud vero minimam, parvulae hujus dissertationis partem nunc attigimus, qua omissa, omnia quidem antedicta essent inutilia. Quid enim opus est cognitione morbi, si remedia ad eum arcendum vel levandum deessent? In omni fere morbo, medicamentorum etiam varietas raro aut nunquam deest; in idoneo delectu est posita difficultas. Ad medelam asthmatis perficiendam, vel ejus violentiam moderandam, remediorum est farrago varia laude concelebrata; e quibus ad ea, quae plurimum auxilii nobis promittere videntur, eligenda animum saltem intendemus. Hoc praefati, sicuti methodus medendi vel tractandi a vera aut cogitatione ficta causae proximae notitia constitui debet, ideo duas indicationes curatorias instituere necesse ducimus.

Imo, Spasmum pulmones afficientem amovere, vel ei moderari. 2do, Ejusdem reditui obviam ire.

Ad

Ad primam indicationem peragendam, venaeſectio, epiſpaſtica, emetica, purgantia, variaque antiſpaſmodica, inter praecipua ſunt remedia, quae maximo cum fructu adhibentur. De his ordine pauca dicemus.

In ſanguine detrahendo, quoniam de uſu ejus in hoc morbo, in primis chronico, apud quoſdam, forſan haud abſque gravi cauſa, multum ambigitur, attentionem ad quaedam aegri propria nos convertere oportet. Cum reſpirationis valde laborioſae, oppreſſionis magnae, continuaeque anxietatis, una cum vultu turgido aut rubore ſuffuſo, ſigna conſpicua ſunt, et praeſertim ubi plethora urget, tum venaeſectio liberali manu, aut ſaltem pro re nata, celebranda eſt.

In vero aſthmate ſpaſmodico, omni ſuſpicione ullius in pulmonibus impedimenti, ponderiſque muci, phlegmatiſve eos prementis, remota, ſanguinis jactura ad aegroti vigorem, aetatem, ſexum, caeteraque, accommodata, omnibus aliis in initio remediis palmam praeripit. Attamen ſanguinis miſſio, perinde ac quodlibet aliud utiliſſimum remedium,

dium, limites habet ſuos. Quamvis, diminuta ſanguinis quantitate, ſymptomata mitiora evadunt, vel temporaria paroxyſmi remiſſio paritur, nihilominus in multis, forſan pleriſque, caſibus, praecipue malo inveterante, et vires vitae debilitante, repetitio eſt evitanda. De ſanguinis detractione, omnem morbum ſpectante, hoc in memoria ſemper habendum eſt, hoc periculi in nimia detractione ſemper ineſſe, ne recuperationem priſtinae valetudinis tardiorem efficiat, aegrum novae acceſſioni obnoxiorem reddat, vel alias affectiones morboſas inducat.

Epiſpaſtica, cum venaeſectionem quaedam prorſus vetant, haud parum proſunt; quae ad dorſum inter ſcapulas aut imam colli vertebram, aut ad pectus, applicata, vaſa partis relaxando, et determinationem a pulmonibus avertendo, idoneum ac utile remedium, quod ſanguinis miſſionis loco adhibeatur, erunt. Miſſione ſanguinis et veſicatione in eodem anhelo ſaepe uti liceat, cum perneceſſaria haec cautela ob oculos nunquam non habenda ne venis ſanguinem detrahas, donec

nec veſicatorii corpori prius admoti irritatio, et vice verſa, deſinat; quippe enim remedia utrumque, eodem tempore adhibita, duplice quaſi actione ſuos effectus mutuo impediunt.

Setacea et fontanelli ſimile opus veſicatoriis praebent, humoreſque ſed diuturnioris temporis ſpatio, eoque certiore in quibuſdam caſibus chronicis effectu, auferunt, et ſic ad imminuendam plethoram, et inde mala pendentia, quale praeſens eſt, pertinent.

Emetica ab auctoribus collaudantur, praeſertim Floyero, qui ad ſeipſum medendum varietatis medicamentorum maximae periculum fecit; et 'vomitio,' inquit, 'ſi leni eſt, magnam humorum fermentantium ventriculo quantitatem eliminando, paroxyſmorum impetum permultum compeſcit ſed in paroxyſmo validum vomitorium praeſcribere ſemper nolui.'

Non dubito quin praxis vomitionem c endi ſaepe utilis ſit; attamen, me judice, d bitoque cuilibet auctoritati obſequio, nu quam aliquo periculo vacare poteſt. Quipp enim

enim, asthmaticum, manente paroxysmo, in discrimen suffocationis semper adducit, quod, ni summa utamur cautione, augeri, immo exitio esse, potest.

Cathartica, si hoc nomine talia medicamenta in auxilium advocentur, qualia drasticae naturae, ex violento operandi modo ita nominata, sunt vitanda, mitiaque salina, veluti sal Glauberi, et cremor tartari, aut saltem quaedam eis qualitate et actione similia, danda.

Proque iisdem his, ad alvum solutam tenendam, laxantia lenia, ore sumpta, quae minime stimulant, sicut sales medii, manna, tamarindi, sulphur, electarium lenitivum, oleum recinae, et similia, plerumque adhibenda.

Ad removendam alvi adstrictionem, quae in tempore paroxysmi urget, enemata mitia optime conveniunt; ea summo cum fructu ac levamine asthmatico exhibita esse, practici auctores persuasum habent. In asthmate laudatur balneum tepidum, aut generale aut locale, ob virtutem laxantem ac emollien-

tem, quae primae intentioni noſtrae probe conducat.

Antiſpaſmodicorum omnium, opium longe praeſtantiſſimum, longeque potentiſſimum eſt. Quo tamen in aſthmate recte uti difficile eſt, certe ſtatu plethorico et diatheſi inflammatoria urgentibus, opiata, niſi iſtis remotis, nunquam adhibenda ſunt. Si vero hae corporis conditiones haud in culpa ſunt, opium, ad mitiganda quaedam ſymptomata, ſi caute tractetur, ſatis reſpondere videtur. Ob eandem virtutem, moſchus, camphora, aſſafoetida, multaque alia hujuſmodi remedia, laudantur.

In morbis ſpaſmodicis vel convulſivis, moſchum ſaepe opem ferre, docuit experientia; ſed eum genuinum et purum parandi difficultas uſum ejus valde ambiguum reddit.

Huic exceptioni minus obnoxia eſt camphora, cujus julepum, ad quantitatem cochlearis i. vel ii. datum, quarta quaque hora, vel redeunte paroxyſmo, multum laudatur.

In

In adhibendo quovis multum olenti remedio, prae caeteris, moſcho et aſſafoetida, ſumma cautela eſt neceſſario obſervanda; quippe quibuſdam delicatis is odor adeo ingratus eſt, ut incrementum mali ab eo nonnunquam patiantur.

Liquor aethereus vitriolicus, indole inſigniter volatili et penetrabili gaudens, ita utile ac potens antiſpaſmodicum eſſe remedium, ut pro tempore nonnihil ſolaminis praebeat, repertus eſt.

Guttae triginta aut quadraginta ex aquae cyatho ſumptae, eſt quantitas aeque ac modus exhibendi conſuetus.

Expectorantia attenuantia, a ſcriptoribus de materia medica ita nominata, uti praeparata ſcillae varia, colchicum, gummi ammoniacum, ad ſputa promovenda adhibita fuerunt.

In unaquaque paroxyſmi parte, regimen antiphlogiſticum eſt accurate obſervandum: Ab animali et ſtimulanti cibo, a liquoribus fermentatis, cum cura abſtineat aeger: Omne incrementum corporei externique caloris

ſedulo

ſedulo evitandum eſt. Sexaginta gradus Fahrenheitiani thermometri temperies cubiculi ejus haud ſuperare debet. Potus quo utitur, ſimplex aqua eſſe debet, cui tantum aceti, vitriolici acidi, etiamque limonum ſucci, tuto commodoque, quantum ad modicam gratamque aciditatem ſufficiat, adjiciatur.

Secundae indicationi quaedam antea memorata inſervient medicamenta; in his autem ſolis tota curationis ſpes haud eſt collocanda; niſi enim rebus nonnaturalibus dictis ratio debita habeatur, ad optima medicamenta incaſſum confugiemus; de earum igitur moderamine pauca notatu obſervatuque digna dicenda ſunt.

Aſthmatico ſummi momenti conditio aëris eſt; qui cum bonae temperiei eſt, tam in curatione morbi, quam in hoc prohibendo, aliorum medicamentorum effectum feliciter ſecundat; quo lucidior et purior, eo gratior et melior: Exceptione haud caret haec obſervatio, quam ſequentibus verbis illuſtris Mead comprehendit.

‘ Vidi,

'Vidi, nempe, nonnullos qui, cum ſub 'craſſo aëris aethere ſatis commode agerent, 'rus petentes, ab aëre ſereno, qui pleriſque 'hoc morbo laborantibus levamen efficit, in 'graviſſimam dyſpnoeam ſunt delapſi *.'

Hanc igitur ob cauſam, medici conſilium hoc in caſu inutile eſt, et aegrum ipſum aëre, qui ei optime conveniat placeatque, frui oportet.

Nutrimento plenus, levis, ab omni flatulentia immunis, cibus eſſe debet. Lac, igitur, quod partim ex animali, partim e vegetabili regno ſuam originem trahens, mediae quaſi naturae eſt, perquam idoneum erit, ſi cum aegroto congruat; cujus in uſu diu perſeverandum eſt, ut reditus morbi certius impediatur; conſtanti enim cautaque dietae adminiſtratione, acceſſionum violentia et frequentia mitigari, ſi non prorſus arceri, poſſunt.

Exercitium paſſivum, quale geſtatio eſt, quod activi more, congeſtionem in pulmonibus temporariam non creat, ſed circuitum aequabi-

* Mead. monita et praecepta medica, in capite de aſthmate.

aequabilem parat, leniterque ad corporis ſuperficiem determinat, multum commodi ſecum adfert.

Omnes animi affectiones violentae cane pejus et angue ſunt devitandae: Mens tranquilla ſerenaque ſervanda eſt.

Vigiliae et lucubrationes ſunt nocuae, ideoque fugiendae.

Alvi ratio nunquam eſt negligenda, quae ſemper liquida eſſe, interdum duci, debet.

Ad nimiam pulmonis ſenſilitatem avertendam, cortex Peruvianus utendus eſt. Qui caute adminiſtrandus eſt, et, diatheſi inflammatoria manente, ex eo abſtinendum. Quod ad metallica tonica attinet; pleraque metallorum virtute tonica gaudent; quae tamen, propter poteſtatem ſtimulantem, caute in auxilium vocanda ſunt, niſi quod ex iis chalybeata fortaſſe tutiſſima ſunt.

Lavatio frigida, quae, facultatem tonicam poſſidens, ad mobilitatem debilitatemque removendas accommodatur, haud utenda eſt, donec plethora, ſi forte ſubeſt, procul amoveatur.

FINIS.

BIBLIOTECA CENTRALE MUSEO